Quelle:
Copyright:

Ottonis Frising. et Radevici canon. libri 4 de rebus gestis Friderici I. Imper.

2. f 12 – 205 v

Ottonis Frisingensis episcopi libri II. et Radevici Appendicis libri II. de rebus gestis Friderici I. Imperatoris. Hos libros ex MSS. Caesareis vindob. castigatos edidit Muratorius de Scriptor. Rer. Italic. Tom. 6. p. 633. et: Facies codicis nostri hac: Praecedit epistola Friderici I. Imper. ad Ottonem Frising. patruum suum, in qua hujus ingenium et studium laudatur, quidve per quinquennium gestum sit, ab ipso Friderico breviter exponitur. Hanc excipit tabula capitulorum tam Ottonis, quam Radevici, quae quidem in materia, non autem in numero cum editione Muratorii conveniunt. Post hoc sequitur Prologus Ottonis ad Fridericum: "Omnium qui ante nos res gestas scripserunt." Denique ipsum opus inchoatur: "Cum sub imperatore Hainrico". Progreditur codex noster usque ad Ottonis lib. 2. c. 26. verba: "ad confecta priorum virtutum se vertit insignia"; vid. Murat. p. 728.; ubi lacuna est ad finem usque lib. 2di. Eodem modo initium Appendicis Radevici deest; codex enim noster incipit verbis: "Largitione pecunia milites", lib. 1. cap. 20. pag. 758. Cetera omnia cum editione Muratorii consentanea deprehendi.

Otto Henrici IV. Imper. nepos, filius S. Leopoldi March. Austr. et Agnetis, sororis Henrici V. Imp. Frater Conradi III. Imp. et Friderici I. Patruus, ab ao 1138. Frisingensis episcopus fuit. Pluribus scriptis clarus, obiit non 1159, ubi Baronius ait, sed ao procedenti 1158. Vid. Murat. loc. cit. et Radevici Append. lib. 2. c. 11. Fabr. Bibl. Lat. med. et inf. at. Tom. 5. p. 186.

Radevicus Frisingensis Ecclesiae Canonicus, Ottonis erat amanuensis, et post laudata Ecclesia praepositus. Continuavit vitam Friderici I. duobus libris; scripsit duplex Epitaphium Ottonis Episc. et ante Fridericum obiisse fertur.